Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1223

Quelle:
Copyright:

tarii Annalib. meoque *Supplemento* praefto ſunt.

Codicem utrinque interne conveſtiunt Membranae hebraicae Fragmenta e *Levitico* de Sacrificiis ab elegante penna ſine punctis exhibentes; ſed enim difficilem acceſſum mucor facit.

DXXXI.

R. 3240 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 357. 8. minutiſſimo, ſed nitidiſſimo charactere per duas columnas exaratus, coloribus illuſtratus, et olim cum *Bibliothecae Civicae*, tum *Collegii S. J. Vindobon.* Commentarius eſt in *LL. IV. Sententiarum Petri Lombardi*, ſeu potius Opus easdem materias eodem ordine, ſed aliter pertractans, cujus Prooemium init: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium. Sicut enim uera dilectione diligitur deus propter ſe ipſum ſuper omnia. ita uera fide aquieſcitur prime ueritati ſuper omnia propter ſe.* &c. Autoris nomen a prima manu toto Codice non occurrit; ſed ab alia *fol. ult.* p. 2. legitur: *A fratre wilhelmo de Militona ordinis fratrum minorum Et Magiſtro Theologie compilatum opus 4^or librorum correſpondenter ad 4^or ſententiarum libros qui doctor allegatur in ſumma agſtenſi* (l. Aſtenſi, nempe F. Aſtexani) *de elemoſina. Ibi vide libro 6^to* (l. quinto) *titulo 26^to.* Et bis quidem, nempe *Art.* 5. et 8. Jam ſi Notae huic fides, duo nova, ab aliis nondum obſervata haberemus Opera *Guilelmi de Middletown* non Dominicani, ut quibusdam creditum, ſed Franciſcani, de quo jam *Vol.* I. P. 1. *col.* 320—22. mentio fuit. Primum quidem praeſentem Tractatum *Dogmaticum*, dein Summam quandam *Moralem*; cum enim ea, quae Sodalis ejus *Aſtexanus* ex eo refert, in Tractatu praeſenti L. IV. ubi de *Eleemoſyna foll.* 323—24. agit, non habeantur, manifeſtum eſt, ea ex alio Tractatu perinde nobis incognito petita fuiſſe, niſi dicas, illa latere in ejus Commentario *in Epiſtolam ad Rom.* quem nunquam vidi, quamvis Summiſtarum uſus non fuerit Commentatores Biblicos compilare. Accedat igitur Subplementum iſtud ad ea, quae *Waddingus*, *Quetifus*, *Caveus*, *Fabricius* (*Tannerus* enim *Guilelmum* penitus omiſit) adnotavere. Solus *Oudinus*, dum T. III. *col.* 217. e *Thomaſini Catal. Mſs. Patavinor.* inter Commentatores in *Libros Sententiar.* Noſtrum numerat, haeret, an id de Subplemento, quod in *Alexandrum Halenſem* condidit, an de proprio Commentario intelligi debeat. Poſterius verum eſſe, Codex noſter demonſtrat.

DXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 690 XIV. Folior. 251. f. per duas columnas minutius multis compendiis exaratus et coloribus diſtinctus ſequentia ad Theologiam ſcholaſticam pertinentia complectitur: I. Commentaria in L. I. *Sententiar.*